AD

TOTIUS EUROPAE OPTIMATES

ALLOQUUTIO

EQUITIS CAJETANI FREDIANI CANCELLARII.

DE LEGIBUS IN GENERE, AC DE POENA MORTIS.
R. R.



NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA TRANI
MDCCCXLVII.

In hoc gaudeo aliquid discere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet eximia sit, et salutaris, quam mihi uni sciturus sim.

Sen. *Epist. VI*

Satius enim esse, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare.

Leg. 5. D. de poenis.

Praefatio.

Italia, quae in civilitatis Aurora scientiarum literarumque disciplinas Europae reddidit, celebres in omni genere doctissimosque Jurisconsultos genuere non defuit viros. De primis sermonem non instituemus qui hanc viam percurrere coeperunt; nam omnium rerum primae institutiones saepissime debiles sunt, atque nullius fundamenti. Sed veterum nimia admiratio bonorum temporum impulit Jurisconsultos; qui maxima cum solertia Graecos, ac Latinos sunt imitati; hinc Philosophica, eorum opera existimata fuere, atque ratione plena.

Ita ut negari non poterit, Graecos a Phoeniciis ac AEgiptiis aliquarum scientiarum, atque artium elementa accepisse: Ipsi autem ad majorem sustulerunt gloriam nimiamque perfectionem.

Quapropter denegari poterit Athenas Graeciae civilitatis centrum fuisse, ac suas leges, atque institutiones omnibus populis, uti exempla fuisse?

Leges XII. Tabularum Romae scriptas, quas *Titus Livius fons universi publici, privatique juris* vocat, et quas *Cicero* omnium Philosophorum bibliothecis praefert, *omnibus omnium bibliothecis anteponendum opus, a Solonis* legibus maxima parte captas esse, quisnam tandem renuere audebit?

Viginti quatuor abhinc saeculis iisdem nunc utimur legibus, sicuti et ipsi recentiores legislatores, sed Roma postea mundo leges protulit.

Adeoque justitiae administratio omnium rerum delicatissima est, atque magni ponderis in publico Jure. Leges autem civiles atque criminales a sapientissimo dictatae legislatore inutiles certe fierent, nisi hominum classis esset ad rationem status elatorum, et Magistratuum ordo, qui legibus exequendis praeessent, et nisi isti normas haberent atque regulas in publicis privatisque judiciis uniformiter atque scienter deficiendis — Justitiae igitur recta administratio obtineri nequit, nisi in aliquo Statu Codex adsit Civilis atque Poenalis regulis justi atque honesti nixus, Magistratuum ordo, qui lites habentibus justitiam reddat, delinquentes puniat, innocentes tueatur, nec non regulae praecisae atque clarae; quae normarum instar in judiciis inservire queant.

Aliunde Philantropicae ideae quae nimis illustrem *Caesarem Beccariam* ad proclamandam felicem illam nationem induxerunt, apud quam leges non sint scientia: Cogitabat enim codicem legum fixe emanatum, cujus literalis, atque Judaica fuisset observantia justi atque honesti norma, quae tum inscii, cum Philosophi dirigat actiones, absque controversia esse, et innegabile factum.

Verum igitur erit, leges tam parvo studio applicandas esse, ut moralitate sublata super actiones hominum difficillime charactere similium nihil aliud consuli debere nisi legum nudam literam ut civium sors statuatur?

Contemnentur igitur doctorum Jurisconsultorum doctrinae, sapientesque decisiones, illustriumque collegiorum, quae semper corona fuerunt atque legis totius fundamentum? *Judicia enim anchorae sunt legum, sicut leges reipublicae,* scripsit *Baco*. Non erunt amplius neque jurisprudentia neque jurisconsultus?

Procul, procul a nobis haec vana somnia jus subvertentia, atque justitiam; leges enim absolute atque universaliter sunt exarandae, ut generale praeceptum atque commune continere possint; speciei causa, non individui sunt emanandae; nec gravitatis legislatori decet earum sensus explicare atque motiva.

En cur *Celsi* prosequentes doctrinam clamamus — *Leges scire, non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem.*

AD
TOTIUS EUROPAE OPTIMATES
ALLOCUTIO.

Amicus, Hostis, Tutor Urbis et Terror.
AUGUSTUS.

In latenti jus civile retinere cogitabant, solumque consultatoribus potius, quam discere valentibus se praestabant — Debilium lacrymae ac curae, fortium oppressiones, laetitiaeque, ac post ordinem quemcumque gestorum, manus abscondita ac praepotens hujus humanae vitae disparitates exaequans, alios ulciscens, alios vero conscientiae latratui relinquens, propter continuas injustitias, legum sacrorum pactuum socialium violentias, inlegalium condemnationum, copiam aut statim facta tollens quae culpae auxilio profundas sanguinis cordis, utilitatisque relationes genuerunt, multa forsan constituunt accidentia ad gignendum quodcumque negotium idoneum, et forsitan, si quis fidem dare voluisset, utile quodque— Legum violatio, injustique actus in *Anarchiam* ducunt. *Impe-*

rator enim suam repraesentans nationem violare nequit, nec leges contraire — Necesse est ergo earum administratores sapientia ac justitia gubernare. Ecce Ministrorum necessitas, Hominum qui Statui praesunt, Magistratuum denique, quorum actiones inalterabiles sint sanctissimaeque. Virtus ista, quae legum spiritum consulere imperat est agger opinionum torrente eruptus atque penitus eversum — Et re quidem vera inficiari non possumus quod *Maximus Bonaparte* realitatem destruens Gallicae Reipublicae, formas subsistere, ejusdemque sermonem loqui sinebat ac ipse loquebatur. Sed populus ille, quem palam tamquam *Imperantem* aspicere effingebat, clam nomine *materiae primae ac mortuae carnis* ab illo spernebatur — Despotismum tamen erat, in primis saltem, in administrando solum, legesque *Democratico* sermone loquebantur.

Hoc mentis intuitu legum reliquias veteris populi *Victoris* a *Principe* collectarum, duodecim abhinc saeculis, Constantinopoli regente, praeter omnia aspicere opus est, quae rituum Longobardorum mixtae in vetustissimis privatorum ignotorumque Interpretum voluminibus complexae, opinionum traditionem efficientes, maxima Europae parte legis nomine donantur, mirandumque est immo omnibus periculosum *Carpsovii* sententiam, antiquissimos usus a *Claro* enunciatos, tormenta iracunda voluptate a *Farinaccio* adsignata uti leges haberi, quibus hominum vitarum divitiarumque rectores secure obediunt. Leges istas, quae barbaris supersunt saeculis, *Auctor parvae molis libri sed sapientiae magnae* = *De criminibus atque poenis* eo quod ad *criminale* attinet *systema*, ac eorum errores attente expendit, quos publicae felicitatis Rectoribus eleganti difficilique stylo, a quo vulgus abhorret, exponere conatus est.

Ingenua veritatis perquisitio, opinionum vulgarium independentia cum quibus *Generalis Codex Nationum* exaratus fuit, dulcium sapientumque Gubernorum effectus esse debet.

En qua ratione Historiam *Juris Romani* tamquam Jurisprudentiae studii *Alphabaetum* respiciendam esse cum *Montesquieu* clamamus. Est enim hoc ita patens axioma, ut nulla egeat demonstratione, et en ratio cum *Gundebaldo* dicendi in proaemio legis Borgognonorum. « *Inter Romanos vero, sicuti a parentibus nostris statutum est, Romanis Legibus praecipimus judicari* ». *Florus* scripsit, inter duos Romae divisum fuisse imperium, et ipsi judicando atque consulendo alios praecellunt; nulli obediunt, lex eorum inviolabilis est populorum salus. Leges istae laeto animo ab omnibus acceptae fuerunt nationibus, quae talis jurisprudentiae rationi operam navabant et cubitalibus caracteribus super Codices exarabant « *tamquam carmen necessarium*. *Cujacii* igitur temporibus Romana Jurisprudentia *elegantior* dicta fuit, et *Nettelbladt* hanc Jurisprudentiam » *Jurisprudentiam Cujacianam*, appellatam fuisse nos docet. Magni *Reges* atque humanitatis benefactores, qui nos regunt, veritates quas obscuras exposuit *Philosophus* absque superbi animi petulantia illorum solummodo Magistra, qui non rationi, sed vi, industriaeque nituntur, strenue defendunt ac diligunt; et nostrarum legum, quae reformatione indigent, errores, si quis bene circumstantias penset, in *Proceduris* nominatim, praeteritarum aetatum, non jam saeculorum sapientum, ac eorum legislatorum satyram atque injuriam esse animadvertunt. Historias perlegendo, barbara inutiliaque tormenta ab hominibus qui *Sapientes* sunt arbitrati, frigido animo, inventa ac peracta cernere horribile prorsus est. Itaque haec crudelitatis acta, ac leges ita nostrum

affecerunt animum ut *Codices Poenales Nationum* nos aspicere coegerunt. Auctor supradictus *Delictorum poenarumque* supplicium crimine saepissime esse major ac statui perniciosum, cum juvare illi deberet merito querebatur. Ita ut supplicia dura plusquam a justitia a tyrannide inventa esse videntur; hominumque spiritus ut mortem horribilem redderet, toto conatu laboravit. Et re quidem vera hominem injuriosae traditum morti nihil boni afferre; inventa supplicia pro societatis bono eidem societati utilia esse debere, mortisque poenam nemini benefacere nisi Carnifici, qui pecunia donatur pro hominibus interficiendis jam multis abhinc annis confirmatum fuit, atque statutum.

Omnis humanitatis amicus, qui hanc legerit scripturam non mortis poenam injustam esse sed contra, quomodo publica voluntas istac annuerit poenae, et quomodo naturale visum fuerit leges homicidium homicidae statuisse nos demonstrare studuisse videbit. Carnificis horror ex eo certe nascitur quod homines similium poena compassione afficiat, idem ac si cum in illo statu desperationis conspexisset, in quo non finis sed principium malorum habetur. Postquam Carnifex flagellis armatus, atque catenis, nullo alio fungatur officio, nisi homines deterrendi, dolorum aspectus quorum crudelis adest minister, illum detestabilem reddet, omnes odio ac terrore afficiet, sed poena, quam reum pati efficiet, nulla carere justitia, clare patebit. Non est igitur natura, quae in Carnificem odium inspirat, est immo motus naturalis, physica repugnantia qua hominem afficit in similium doloribus, ex qua nihil contra legis bonitatem concludendum putavimus. Crudelis namque, ac longa servitus mortis poenae est sane praeferenda, ista enim longe efficacior est, et terribile hoc non erit supplicium, nisi

in regionibus illis, in quibus populi status commodus adest, atque gentilis. Si enim innocentum conditio poenosa esset sicuti est illa reorum, istorum dolores non viderentur esse supplicia, et quamplures eodem gradu infelices nullo essent capti terrore.

Nihil tamen certius est quam dicere turpissimum esse Carnificis officium, nec non homine indignum. Immo nullo modo concipere possumus, quomodo inveniri possint homines, qui tanto se subjiciant dedecori, ita ut ferox animal ab homine edoctum, his officiis aptum fore dubitamus.

Aliunde quisnam crederet, unum ex malis mortis poenae illud esse, nisi *ad bestias* damnentur delinquentes sicuti apud Romanos, quod humanitati minus contrarium esse videtur, quamquam inhumanissimum sit — Et re quidem vera tyrannidis ac legum barbara dispositio eadem semper fuit, *nullo adversante*, uti *Tacitus* ac *Titus Livius* nec non recentiores testantur.

Hinc contra justitiae executores quem nemo vincere potest, generalis omnium nationum contemptus, omnium temporum, omniumque aetatum. Hinc publici inquisitoris atque criminalis Judicis adversio suam trahit originem, cui tota necessaria societatis officia, ac ratio ipsa nullum praebet aggerem. Istae sunt potissimae contradictiones quas sensibili animo quisque donatus intelligere nequit, et quod nullo modo explicari possunt. His innixi principiis bene loquuntur doctissimi viri *Diderot* ac *Morellet*. Juxta antiquorum jurisprudentiarum disciplinas vitae praemio afficitur, qui socio mortem affert. En medium minus delinquentes interficiendi, scelestosque liberandi! — Magistratus omnes dicere deberent. Justitiae ensis in manibus est nostris; sed retundere potius quam acutiorem reddere, nostrum est officium et eum in vaginam ante Reges

ferre, quam rarius mittendam esse foras, nos admonet. Interim Judices visi sunt humani sanguinis effusione gaudere sicuti in *Anglia Iaffrei*, in *Gallia* vir sua feritate dictus *Tagliateste*, *Vanni* et *Mammone* in *utriusque Siciliae Regno*. Homines isti ad Magistraturam natura non facti, carnifices crudelitas fecit.

Praeterea mortis poenam graduari non posse jam demonstratum est. Illa autem nihil aliud est, nisi vitae cessatio, tam pro viginti annorum adolescente, quam pro sexaginta annorum viro. Attamen hoc nullo modo indifferens esse potest. Evidens est, hominem triginta annorum morti tradendo, quid fiat, nesciri. Hac reflexione nemo captus fuit, nam homo iste viginti hominum solus est superstes, et legislatorem criminalem quanta sit hominis vita ignorare nos credimus.

Tandem ecquis enim *denegare poterit vitam omnium bonorum esse maximum?* Et societas tota quoque annuit, dicendo illam qui sustulit, tollere posse — *Quisquis occidit, morte est dignus*, sed aliunde verum est, *illum qui hominibus benefacit, de hominibus benemereri, ut illi quoque benefaciant.* — Et re quidem vera humanae vitae tollendae potestatem pro quacumque caussa nemo societati concedere voluit, sed unusquisque ad suam servandam vitam intentus, et nemo voluntatem alterius vitae insidiandae praevidens, nihil aliud vidit, nisi mortis poenae utilitatem pro vita sua tuenda, pro securitate, publicaque vindicta.

Ita, cum in criminali praxi veteris Romani populi respicitur (quem *Virgilius populum regem appellat*) cum eorum studio in civium vitas tuendo, meminerimus, facilitatem aspicientes qua nostris hisce temporibus sanguis versatur civium, in praecipuis Europae regionibus dolore maximo certe affici-

mur. Respublica igitur Romana pravis Regulis subjecta fuit? — Videmus ne majorem securitatem inter nos? Froenum igitur omnes continens plusquam poenarum atrocitas in illis infligendis methodus quippe est. Immo, dicit *Wattel*, si in *Anglia* mortis poena furtum punitur, quidnam faciemus ut civium vita tuta sit, atque secura?

Post bella punica, quando artes, scientiaeque Romae honorari coeperunt, crudelitas paulisper, atrocitas, atque preteritarum legum barbarae crudelitates minuerunt — Sicuti *Svetonius* demonstrat, nos quoque igitur omnium Europae legum reformationem reclamare debemus.

Falsum prorsus est, dicit incomparabilis noster *Beccaria*, scientias humanitatis semper damnum afferre, et quum damnosae fuerunt hominibus, malum inevitabile erat. Addit *Mirabeau*, humani generis multiplicationem tot super terrae faciem conjecisse mala, quae nunc in societate insurrexisse videmus. Leges tamen, sequitur *Beccaria*, prima hominum Philosophia fuerunt cujus pauca elementa justissima erant, nam earum indolentia, atque parva sagacitas ab errore eos tuebatur.

Quapropter sapientissime scribit auctor immortalis « *Scientiae novae*, Principiorum Philosophiam » hominem considerare sicuti esse debet, legislationemque hominem considerare, sicuti est, atque in his elementis omnes Philosophi conveniunt omnis aetatis, atque omnium nationum Legislatores, quae confines sunt humanae rationis, et quisquis ex ea exire velit, a tota humanitate exire certe non videt.

Sic in tota Europa videmus et in doctorum hominum consessu de differentia sermo est, quae inter Romanas leges interest, et tot barbaros usus, qui earum loco introducti fuerunt sicut superbae civitatis immunditiae cooperientes ruinas.

Venerandum Senatum Romanum sicuti et nos pro *Supremo Deo* venerationem habuisse nulli obnoxium est dubio, et tantum pro immortalibus Diis ac secundariis ab *Aeterno Hero* independentibus habuisse respectum, quantum nos pro *Sanctis* habemus. *Ab Iove principium* erat eorum ordinarium dictum, ita ut *Plinius* in *Trajani* Panegyrico, Senatus Leges Sanctas esse confirmat, ne Diis displicerent, ac eorum punitiones promererentur.

Attamen si luminosissima saecula suas habuerunt utilitates, sua etiam habere debuerunt incommoda, uti *Servan* ait: Literarum gustus interpretum spiritum perficiens, in ipsis eodem tempore ingenii aciem auxit; sed his paucis exceptis, omnes alii *auctores* tempus frustra terere conati sunt, et curas omnes adhibuerunt in monstris inveniendis, chimerisque prosequendis, pro destruendi eas voluptate, atque antinomias requirendi saepe ac saepius imaginarias, ut mentis aciem ac perspicaciam in inveniendo, quod nemo prius invenerat non solum sed ne mente quidem conceperat, ostenderent. Sed non ita illis accidit qui ex jurisprudentiae studio celebratorum gymnasiorum *Beriti Romae* ac *Costantinopolis* exibant, quos tunc temporis confirmare non oportebat ut jurisconsultos laurea donarentur, *cum studiorum habebant fiduciam.* Omnibus temporibus Jurisprudentiae necessitas recognita est. *Eloquens Orator*, ac *Maximus* Juris legisque peritus aetatis nostrae Dominus *Portalis, jurisprudentiam sicuti et legem necessariam esse existimavit.* Cancellarius *Baco* jurisprudentiam anchoram legis, legem vero anchoram esse Status autumabat, *judicia enim anchorae legum sunt, ut leges reipublicae;* Romanos Jurisconsultos Legis auctoritatem et vim ei donare scitur. *In ambiguitatibus vero, quae ex lege proficiscuntur, rerum perpetuo*

similiter judicatarum vim legis obtinet auctoritas. Facultas autem, inquit *Cancellarius d'Aguesseau,* legis interpetrandae solius est Regis, Legislatoris videlicet, *ejus est legem interpretari cujus est legem condere.* Attamen tres interpretationis species sunt distinguendae; triplex enim habetur legislatoris mentis interpretandae ratio: 1.° Ab illis haurire possumus fontibus quibus ille legem ferendo rationes hausit ac motiva: 2.° Respicere quo sensu legis adplicationem adhibuit *Magistratus:* 3.° *Legislatorem* directe consulere.

Prima interpretandi ratio (quae doctrinalis appellatur, et communis est jurisconsultui ac jusdicenti) tantum habet roboris, quantum super rationem habere possunt doctrinae eam consulentes; secunda juris doctrinis nititur, sed aliquo modo legislativae potestatis est particeps, quam *Judices Supremi* repraesentant legem adplicando et vice Sacra *Principis* judicant: tertia eidem legi respondet pro originis identitate, omnibusque aliis attributis.

His sententiis igitur, praesentium legum studiosi attendite, et vos qui eas substinetis, ut Legum Romanarum studium Legum Nationalium intelligentia principiorum juris publici augmento inserviat, efficere debetis: ostendite vos in numeribus ac Legum professione abiles, justos, ac Trono, Patriae, vobismetipsis utiles estote — *Pergite, Cicero* clamabat, *ut facitis, adolescentes; atque in id studium incumbite, ut et vobis honori, et amicis utilitati, et reipublicae emolumento esse possitis.*

Attamen et quis magni *Napoleonis* hystoriam propter codicem illum *Augusti* hystoriam obscurasse ignorat? *Despotae Gallici* gubernium statim ac id vidit, opus confiscari jussit. Hoc opus fuit monitu, ne auctorem obscuris coloribus ac odiosis

demonstrantem, *Augusti* politicae ignorantem extitisse, dicatur. *Morigeratus callide fuit.*

Opera, quaeso, magni *Cajetani Filangieri*, qui nomen *Itali Montesquieu* promereri dignatus est, celebratissimi *Caesaris Beccaria*, ac omnibus notissimi *Marii Pagano*, ut veritates istae patefiant, attento animo perlegite.

Sed amplius est mihi dicendum: quisquis ille sit qui sua critica honorare me voluerit, talium operum praeclarorum finem intelligat, qui longe a legitima auctoritatis extenuatione, ad illam augendam inserviret, si plus quam vis, violentia atque abusus, in hominibus opinio potest, et si dulcedo, justitia atque humanitas ea prae omnium oculis adprobant. Falsae interpretationes ac male comprehensae contra hos libros prolatae censurae obscuris praesentis jurisprudentiae notionibus nitentes, ratiocinationes nostras clarissimis lectoribus atque guberni nostri *rectoribus* ut timidi animi erroribus malignae invidiae calumniis, atque actualium nostrarum legum violentiae, abusui, falsaeque interpetrationi, aditus claudatur, interrumpere paulisper nos cogunt.

Tribus fontibus, a *Revelatione* nompe *Lege naturali* ac *factitiis societatis conventionibus* principia derivari moralia ac politica, quae hominibus regulam praebent, incomparabiles praeclarorum dictorum operum *auctores* stabilierunt. Inter primam aliasque relate ad praecipuum ejus finem nulla adest comparatio, attamen in hoc conveniunt quod omnes ad hujus vitae felicitatem perducunt. Relationes quae ad ultimam spectant, considerare primarum non excludit relationes; immo sicut illae etsi divinae immutabilesque hominum culpa falsarum Religionum arbitrariarumque notionum vitii ac virtutis multimode in corruptis mentibus alteratae fuerunt, atque auctae;

ita seorsim ab alia quacumque consideratione, quod a puris conventionibus, humanis nascatur, expressis aut pro necessitate utilitateque communi suppositis ad trutinam revocare necesse esse videtur.

Est enim idea, in qua omnis classis ac morale systema, necessario convenire debet, ac semper laudabilis erit actio illa quae etiam perspicaciores incredulosque ad conformandum se principiis cogit, quae ad socialiter vivendum homines impellunt. Tres sunt igitur distinctae virtutum vitiorumque classes, *religiosa*, scilicet, *naturalis* atque *politica*. Hae tres classes numquam inter se contradictionem patiuntur; ac non omnes consequentiae et officia quae ab una proveniunt, ab aliis quoque pendere necessarium foret. Non omne quod *Revelatio* exigit, imperat quoque *Lex naturalis*, nec omne quod ista exigit, *pura Lex socialis* jubet. Quod enim ab ista provenit conventione, ab expressis nempe ac tacitis hominum pactibus quamplurimum secernere interest, est namque talis illius roboris limes, qui inter hominem aliumque absque *Entis Supremi* speciali missione legitime exerceri possit. Ideam igitur virtutis politicae sine obstaculo appellari posse variabilem quisquis sane videt. Idea naturalis virtutis eadem semper est, atque constans, est enim a *Deo* immediate revelata, ab illoque servata.

Post multos superbae Philosophiae conatus omnis sapiens ac prudens vir persuasum se habuit quod ad populos dirigendos per virtutis semitam, moribusque deditos ac bonos efformandos, ut boni sint subditi, honesti cives, patres soliciti, filii obedientes, uno verbo, religiosi ac pii homines, et revera praeceptorum cognitione oporteat, quae a *Revelatione*, a *Lege naturali*, ac *factitiis societatis* conventionibus prono alveo de-

scendunt. Falleret igitur revera qui socialium conventionum loquenti ac earum consequentiarum principia legi naturali, aut revelationi, quia de his non loquitur, contraria tribueret.

Falleret qui de statu belli loquens prius quam status socialis fuisset in sensu *hobesiano* intelligeret sine officiis nempe, ac ulla obligatione anteriori et non de facto loqueretur a corruptione naturae humanae, sanctionis perfectae dificientia producto.

Falleret qui *crimine scriptorem* ac *Jurisperitum* afficeret qui emanationes pactus socialis considerat prius quam foedus illud admitteret. Simplices istae ideae, haec firmissima principia ac vera, quorum cognitioni actualis societatis ultima nititur spes detegenda statim atque exponenda scimus in insigni opere quod titulo donatur: *Apologia juris Romani studii, legum nationalium, ac examinis jurispublici*, quod verus societatis amicus publicae tradendum luci decrevit.

Divina atque *humana justitia* essentialiter immutabiles sunt atque constantes: relatio enim duorum objectorum eadem semper est. *Justitia* tamen *humana* scilicet *politica* cum nihil aliud esset, nisi inter actionem, et varium societatis statum relatio, prout necessaria fit, aut societati utilis actio quaevis variare potest; nec bene, nisi ab illo cernitur qui mutabilissimas, multasque civilium relationum combinationes ad trutinam revocet. Statim ac principia ista, essentialiter distincta, confundantur, nulla adest bene ratiocinandi spes in publicis materiis. Ad Theologos attinet aequi injustique limites constituere, eo quod intimam respiciat malitiam, aut actionis bonitatem; justi injustique politici relationes statuere, utilitatis scilicet aut damni, ad publicistam spectat; nec objectum aliquod altero quid praejudicii afferre potest, virtutem enim po-

liticam cedere debere immutabili virtuti a *Deo* emanatae quisque noscit.

Quisquis tamen sit, iterum dico, qui de sua critica me honorare velit, in me nec virtutis destruentia, aut justitiae, aut sacrosanctae nostrae Religionis supponat principia, nec me incredulum faciat, ac seditiosum; studeat contra invenire in me nec logicam, neque politicam, nec omni propositioni contremiscat, quae totae humanitatis, infelicisque hominis ad ordinem Judiciarium pertinentis jura substineat atque defendat.

Nimium legum rigorem, atque pessimam procedendi praxim poenalem, atque civilem humanitatis iram promovere, baronem *Bienfeld* scripsisse omnibus notum est; et numquam statutum est; juxta Juris Naturalis principia, usquequo vita, substantiae, omnisque alia hominis conditio in aliorum hominum sit potestate.

Frustra negari potest, secundum magni immortalisque *Joannis Baptistae Vico* verba, leges naturales vocari, quas omnibus temporibus, omnibus hominibus pro justitiae conservatione natura monstrat, cordibusque nostris impressit. Furtum, violentia, homicidium, oppressio, erga benefactores ingratus animus virtuti, atque laboribus negata merces, perjurium nocendi causa factum, contra patriam conspiratio, omnibus evidentia sunt crimina, plus minusve severe, sed justissime castigata.

Leges autem politicas vocamus illas, quae secundum praesentem necessitatem factae ad reddendam solidam potestatem, aut ad infortunia praevenienda diriguntur.

Et hic super Cathedram conscendimus, et Hominibus Status, omnibus Jurisconsultis, omnibus Magistratibus, tandem, nec non omnibus praesentibus futurisque generationibus, magna voce clamamus verba nostra nihil aliud, nisi veritatem

reclamare, atque dedecoris societati allati reparationes cum *Codicis Napoleonis* emanatione, cujusque particularis Europae nationis jura et utilitates omittendo. *Procul, igitur procul hinc esto, profani!*

Nunc objici poterit, leges status fundamentales, constitutionem nempe, nisi fundatoris voluntatem esse, ac formularum expressionem, unde regi debet imperii transmissio, cujus ille sicuti fundator, verus est possessor? Hinc Regis voluntatem, fundatoris nempe, aut ipsius juris haeredis, vivam legem esse atque animatam clare intelligitur.

Permissum est igitur dicere ad istas tam simplices, quam veras, ideas stabiliendas ultimae moestissimae Societatis spes directas fuisse, non illas tamen hominum status, Jurisconsultorum, qui tyrannidem *justitiae* sanctis immaculatisque vestibus induentes, miseriae planctus aures claudentes a Throno veritatem repellunt, illas committendo Spiritui legum violentias, atque humanitati, quae Neronem alium puderent.

Vae tamen principatui in quo tam fatales abusus, atque infernalia systemata introducta fuerunt!

Deus autem justitiam inter homines depulsam respiciendo fremit, justitiae imaginem publico spectaculo positam esse, ut populi inscia pars, illam sublatam esse non videat; fremit Deus ensem injustis crudelibusque hominibus traditum respiciendo, praepotentibus, atque vindicta gaudentibus; qui super innocentis caput pendere faciunt, scelestosque homines tuentur: fremit, se in atrocibus injustitiis appellari, easque sui tremendi, augustique nominis auspicio committi; fremit leges respiciendo derelictas, populum aerumnis confectum, Regem a circumstantibus deceptum, qui amantissimus Pater, sed a suis traditus, non sui compos, populi, suorumque filiorum fit saepe

ac saepius carnifex atque inimicus. Veritates istae, impiis terrore, bonos ac sapientes sublevant populorum rectores. Inter primos Sejani, Pallantes, Callisti, atque Narcissi, nec non alia ejusdem furfuris monstra celebria Principum exitium, subditorum flagellum, posteritatis execratio fuerunt. Inter alios Maecenates, Sully, Colberti, Valentes, quorum nomina etiam nunc resonare non desinunt, miseram humanitatem beneficiis affecerunt, atque gloria. Si igitur Macedo Philippus in Cheroneae pugna ferris Sacram Athenem circumdedit, Alexander Graeciam deseruit, Caesar Romae armis Romanam extinxit virtutem; Augustus Philippo superior, Alexandro, atque Caesari imperium in meliorem redegit formam, Regis corona illi tempora cinxit; herois politica fuit ejus gloria, quae illius major facta nihil, nisi suam imbecillitatem, perdidit — Justitia coeteras virtutes stabiles reddit — Veritas autem numquam sapientes homines terruit, sed debiles tantum atque imbecilles, illam seipsis tacentes, atque conscientiae turpes, quibus utile est atque necessarium ejus lucem in hominum cordibus sepultam manere, sicuti in sepulcro lucerna. Sed lux ista prodest, si a mortuorum sepulchro ad vivorum asylum non transit? Ita *Lycurgus*, atque *Solo* primus Spartae alius Athenis clamavere.

Tandem istis petimus hominibus, si in illis regnis in quibus Religio politicae serva non est, nec Evangelii sensum *Macchiavellius* usurpat, nec despotismum praetextus invenit ut eum justitia transigeret, eos esse, qui Jesu Christi haeredes venerantur, atque Caesaris jura cum illis Dei confundunt — Hominibus Status Europae haec principia, veritatesque istas, quae ad jura substinenda omnis gubernii, omnisque societatis praedicandi nostram noscimus audaciam.

Idiomate Latino loquor in hac elaboranda Oratione, ut omnes totius orbis literati legere queant.

OPERE

DEL CAV. GAETANO FREDIANI.

SOCIO CORRISPONDENTE DELL'ISTITUTO DI BOLOGNA, DELL'ACCADEMIA GIOENIA DI SCIENZE NATURALI DI CATANIA, MEMBRO EFFETTIVO DELL'ARCADIA DI ROMA, E DEL VII. CONGRESSO DEGLI SCIENZIATI ITALIANI.

DISSERTAZIONE LATINA, diretta agli Uomini di Stato di Europa.

DISSERTAZIONE ITALIANA, sulla Legislazione criminale.

ARINGHE CRIMINALI.

APOLOGIA pei Giudici e Cancellieri di giudicato d'instruzione.

VERSIONE del Comento sul Codice penale e dell'instruzione criminale della Francia del signor *Carnot*, corredata di note sulla giurisprudenza del Regno delle Due Sicilie, non che del traduttore medesimo. (In più volumi).

VERSIONE, sul compendio storico del *Dritto Romano* da Romolo fino a' dì nostri del signor *Dupin;* eseguita tal versione sull'ultima edizione francese.

FIORE ALL'ITALIA. Nuove aggiunzioni al *Discorso intorno alla lingua italiana.* Il *Parnaso dei classici Poeti italiani*, accresciuto di altri dodici autori, che formano il numero di novantasei *sonetti.* E da ultimo il *carme* sull'illustre *Giulio Perticari* abbellito con altri ricercati pensieri.

IL ROMANZIERE MODERNO. La più parte delle *romanze* sono già note sui giornali letterarî. *Il Vaglio di Venezia. L'Omnibus di Napoli. La Flora Poetica di Palermo. L'Iride di Verona. Gli Animosi. Dottor Manchella*, e diversi altri.

POESIE LIRICHE. Alle stesse vi sono aggiunti tre *Poemetti.*

PROSE SCELTE. Vi sono aggiunte anche le *Novelle*, e le *Memorie* dirette all'eccelsa *Accademia Gioenia di scienze naturali in Catania.*

L'ALUNNO DELLA SCUOLA DI MARTE, o sia il *Benefattore Avvelenato.* Storia dei tempi nostri.

MELO-DRAMMI 3. Liutprando. La duchessa di Clermont. E lo Spettro di Stockolm.